

talis voluntas concurrendi ad talem actum liberi arbitrii, quamvis aeterna sit, non tamen proprie dicitur antecedens, sed concomitans actum, quia non induit, ut ita dicam, indolem decreti statuentis determinate actum liberi arbitrii nisi in signo posteriori scientiae divinae, perspicientis, quod liberum arbitrium, si sibi offerretur tali tempore concursus, operaturum de facto esset. Ex quo etiam intelligitur, quomodo duae illae voluntates, divina et humana, «simul conjungantur ad eandem actionem; nam voluntas divina ex aeternitate est quasi preparata, et habet applicatam potentiam suam ad coagendum cum voluntate humana. Unde quando in tempore voluntas humana pro libertate sua conjungitur divinae, simul efficiunt (1). Quia novit profecto Deus, quo praecise temporis momento liberum arbitrium se determinabit ad agendum, si in promptu habeat concursum, et pro illo ipso momento decernit virtutem suam cum creata virtute conjungere, ut in eandem utraque simul actionem coeant.

#### ARTICULUS IV.

**Utrum ratio liberi sit intrinseca actui, ita ut actus nequeat de libero transire in necessarium, nec vicissim de necessario in liberum.**

134. Hactenus egimus de libertate in actu primo vel de potentia libera; nunc aliquid dicendum de actione libera. Actus liber est exercitium liberi arbitrii, vel actio quae procedit a potentia libera, ita ut poterit etiam non procedere, de quo in prinis quaeri posset, quomodo se habeat respectu actus perfecte voluntarii. Nam Almainus (2) perfecte voluntarium dixit esse illud, quod ita est in potestate operantis, ut positis omnibus praerequisitis ad operandum, possit ab illo fieri et non fieri: unde ad rationem perfecte voluntarii videtur requirere indifferentiam et dominium actus,

(1) Suarez, loc. cit. num. 16.  
(2) Almainus, tract. 1 *Moral.*, cap. 1.

Quo pacto se habeat liberum respectu perfecte voluntarii.

Ex alio diverso principio Scotus (1) confundit liberum cum perfecto voluntario, cum docet Deum se libere diligere, et Spiritum S. libere procedere a Patre et Filio, quamvis necessario producatur, quia nimirum perfecte voluntarie procedit: unde neque ad actum liberum videtur requirere indifferentiam et dominium, sed solum quod procedat ex perfecta cognitione. Et ipse S. Thomas interdum loquitur modo ut Scotus (2), modo ut Almainus (3). Fundarique potest hic modus loquendi in quibusdam Sacrarum Litterarum et Patrum locutionibus (4). Verum in hac materia duplex institui potest quaestio, prima de re, altera de nomine. Prima, utrum in voluntate humana praeter modum operandi ex vitali impulsu voluntatis, perfectam cognitionem consequentem, in quo ratio voluntarii consistit, detur alter modus operandi ex activa potentiae indifferentia, quae potest agere et non agere. Et circa hoc certum est de fide dari hunc alterum modum operandi a primo distinctum, idque probatum est, cum libertatis existentia probaretur. Praeterea certo certius est Deum sese voluntarie amare, et voluntarie procedere Spiritum S. a Patre et Filio, et beatos voluntarie ex perfectissima cognitione ac vehementissimo impulsu voluntatis amare Deum in caelis: et nihilominus hi omnes actus ita sunt voluntarii perfectissime, ut prorsus sint etiam necessarii absque ulla indifferentia et potestate non agendi. Quare quoad rem ipsam certum est dari actus perfectissime voluntarios, quin sint indifferentes aut liberi secundum notionem libertatis hactenus traditam. Altera quaestio de nomine est, utrum actus perfecte voluntarius, etiamsi sit simpliciter necessarius, dicendus sit liber, vel e converso actus liber libertate indifferentiae sufficienter designetur nomine perfecti voluntarii. Et quamquam interdum in Sacris Litteris et Patrum operibus actus liberi libertate indifferentiae nominentur voluntarii et spontanei;

Sententia Scoti et Almaini.

Resolvitur quaestio de re.

Quid dicendum circa quaestionem de voce.

(1) Scotus 1.<sup>o</sup> dist. 2, quaest. 3; dist. 10, quaest. unica; *Quodlib.* 16, art. 1, et 3. Cf. Mastrius, *de anim.* disp. 7, quaest. 2, art. 1, numeris 11-14.

(2) S. Thom., *de potent.* quaest. 10, art. 2, ad 5.<sup>um</sup>  
(3) S. Thom., 1.<sup>o</sup> 2, quaest. 6, art. 2, ad 3.<sup>um</sup>; et quaest. 21, art. 2.  
(4) Apud Suarez, *de voluntar. et involuntar.* disp. 1, sect. 3, numero 3, 4.

videntur diversissima ista actuum genera nomine ipso accurate distinguenda esse, præsertim postquam hæretici, ac potissimum Jansenistæ, nominibus turpissime abusi sunt, ad meritum ac demeritum solam libertatem a coactione sufficere autumantes, atque adeo non admittentes in homine nisi actus voluntarios et spontaneos (1). Crediderim tamen liberum recte dici posse voluntarium perfectum, ut sæpe dicitur, quia libertas (loquor de formali et immediata), sicut non potest esse nisi in voluntario, ita perfectionem aliquam (sive physicam sive saltem moralem, de quo jam agendum est) superaddit voluntario, quamvis ea perfectio major videatur esse extra lineam voluntarii: unde fit, ut perfectio ista libertatis possit reperiri etiam in voluntario in sua linea minus perfecto, nimirum in eo quod est simpliciter tale, sed involuntarium secundum quid, et e converso possit abesse in voluntario in linea sua perfectissimo, qualis est amor beatificus, qui est maxime secundum inclinationem voluntatis et ex perfectissima boni cognitione. Et propterea licet omne liberum dici queat aliquo modo voluntarium perfectum (nempe saltem cum perfectione extra lineam voluntarii), non tamen omne voluntarium perfectum dici potest liberum, nisi velimus abusive ac periculose loqui.

Utrum libertas  
sit perfectio  
intrinsicæ  
libero actui.

Ea vero est præcipua quæstio inter Philosophos et Theologos agitata circa liberos actus, utrum libertas sit in eis aliqua perfectio intrinsicæ. In ipso quidem libero arbitrio vel libera potentia libertas est perfectio intrinsicæ, eam distinguens ab omnibus necessariis potentiis per suam indifferentiam activam et potestatem dominii, per quam ita potest operari, ut etiam possit non operari; sed dubitatur, utrum idem dicendum sit de actu libero, utrum videlicet libertas in actu, qui dicitur liber, sit aliqua ratio ejus realis et physica vel modus intrinsicæ efficiens entitatem ipsius actus, ita ut idem physice actus liber non possit esse necessarius, an vero e converso libertas non sit in actu, qui dicitur liber, nisi denominatio quedam extrinsecæ derivata a principio indifferenti, unde procedit, ita ut eadem realis actio, quæ nunc libera est, absque ulla entitativa mutatione posset transire in

(1) Vide Suarez, *de voluntar. et involuntar.*, disp. 1, sect. 3, numer. 2-17.

necessariam. Nonnulli Thomistæ putarunt libertatem esse prædicatum intrinsicum, non tamen essenziale, sed accidentale, situm in modo quodam relationis actui superaddito et inhærente. Verum hæc opinio facile rejicitur, tum quia falsum supponit circa naturam relationis, quam jam alibi ostendimus non consistere in modo distincto ab adæquato fundamento (1); tum quia modus ejusmodi, utpote qui resultare debet ex actu ei que inhære, jam præsupponit actum voluntatis existentem. Ergo actus ejusmodi antecederet ad modum vel supponitur productus a voluntate potente illum omittere, vel non. Si primum, jam actus ille liber est antecederet ad modum istum superadditum, qui proinde supervacaneus est. Si autem actus supponitur productus a voluntate non potente illum omittere, necessarius jam est, nec poterit liber evadere per quamcumque entitatem, sive absolutam sive modalem superadditam (2).

Quædam opinio  
rejecta:

Duæ itaque supersunt opiniones contradictoriæ super quæstione proposita. Prima tenet libertatem esse perfectionem intrinsicam et essentialem actui, qui dicitur liber, ita ut repugnet eumdem entitative actum esse necessarium. Hanc tenent Thomistæ (3), quibus adstipulantur e nostra Societate P. Petrus Hurtado (4), Aldrete (5), Quiros (6), Lynce (7), et quidam alii. Secunda sententia tenet libertatem in actibus liberis non esse perfectionem intrinsicam, sed tantum extrinsecam denominationem, a libertate vel indifferentia actus primi seu potentiæ derivatam: quam tenent communiter Scoticæ (8) et longe communius doctores nostri cum

alie duæ  
opinionis,

quarum proba-  
bilior,

(1) Vide *Ontolog.*, num. 330, pag. 996.

(2) Cf. Lossada, *de anim.*, disp. 9, cap. 2, num. 20.

(3) Alvarez (*de auxiliis*, disp. 52), Salmaticenses (*Curs. theolog.*, tomo. 5, *de voluntar.*, disp. 2, dub. 4), Joann. a S. Thom. (In 1.<sup>am</sup> part., quæst. 12, disp. 14, art. 2), Cosm. de Lerma (*de anim.*, lib. 3, quæst. 25, *Dicendum* 3.<sup>o</sup>), etc., etc.

(4) *De anim.*, disp. 15, sect. 6.

(5) In 1.<sup>am</sup> part., disp. 4, *de prædestin.*, sect. 5.

(6) *Opus philosophic.*, disp. 101, sect. 2, 3.

(7) Apud P. Lossada, loc. mox citando.

(8) Vide Mastrium (*de anim.*, disp. 7, quæst. 4, art. 1), Pontium (*de anim.*, disp. 13, quæst. 5, num. 55), quamquam hic rem paulo aliter resolvit.

urgans liber-  
tatem esse  
perfectionem  
intrinsicam  
actui

eligitur.

Molina (1), Suarez (2), Vazquez (3), Salas (4), Becano (5), Connick (6), Lessio (7), Arriaga (8), Oviedo (9), Rhoddes (10), Tellez (11), Compton (12), Soarez Lusitano (13), Lossada (14), etc. Controversia est non parum ardua et perplexa, in qua liceat nobis præcipua probabilioris sententiæ fundamenta declarare.

135. PROPOSITIO. Libertas in actu libero non videtur exprimere perfectionem aliquam intrinsicam et essentialem actui, sed tantum denominationem externam ab indifferentia sui principii, a quo ita procedit, ut potuerit etiam non procedere.

et probatur.

Prob. 1.<sup>o</sup> Actus liber est ille, qui procedit a principio, quod potestatem habet illum omittendi. Atqui non est intrinsicum, sed extrinsecum ipsi actui, ut procedat a suo principio sive ad ipsum determinato sive etiam indifferenti ad ipsius omissionem. Ergo... Prob. Minor., nam cætera perspicua sunt. Liberum arbitrium constituitur potens operari per propositionem objecti invitante ad amorem ratione sue bonitatis, et constituitur potens omittere operationem per propositionem objecti retrahentem ab amore ratione alicujus defectus; nam radix libertatis stat in objectiva indifferentia. Atqui actui amoris, secundum suam entitatem spectato, prorsus per accidens est objecti propositio ab amore

(1) *Concordia*, quest. 23, art. 4, disp. 1, membr. 7.

(2) *De voluntar. et involunt.* disp. 1, sect. 3, num. 17 seqq.

(3) In 1.<sup>am</sup> 2.<sup>æ</sup>, disp. 34, cap. 3, num. 16; disp. 55, cap. 3, num. 13; disp. 70, cap. 7, num. 25.

(4) In 1.<sup>am</sup> 2.<sup>æ</sup>, tract. 3, disp. 1, sect. 6, num. 62 seqq.; tract. 7, disp. 2, sect. 5, num. 40.

(5) *De beatit. et actibus human.*, tract. 1, cap. 3, quest. 3.

(6) *De actibus supernat.*, disp. 2, dub. 8.

(7) *De divin. perfection.*, lib. 13, num. 176.

(8) *De anim.*, disp. 8, sect. 4.

(9) *De anim.*, contr. 11, punct. 8.

(10) *Disputat. Theolog. scholast.*, tom. 1, disp. 3, de actib. human., quest. 2, sect. 3.

(11) *Disput.* 67, sect. 1, num. 4.

(12) *De anim.*, disp. 24, sect. 5.

(13) *De anim.*, tract. 6, disp. 2, sect. 7, paragr. 12.

(14) *De anim.*, disp. 9, cap. 2.

retrahens, ita ut nullatenus possit in illum influere. Nam ejusmodi propositio, ut ex terminis patet, potius ad oppositum amoris inclinatur, quantum est de se, videlicet vel ad odium vel certe ad omissionem amoris, quandoquidem objectum, prout deficiens, est malum, malum vero ad actum amoris influere nequit. Ergo propositio illa objecti ab amore retrahens, quæ necessaria est ad constituendam potentiam libere operantem, nihil influit per se in actum, qui proinde non dependet per se ab illa, sed potuit esse secundum eandem entitatem, etiamsi non existisset talis propositio objecti. Tunc autem actus non fuisset liber, sed tantum voluntarius necessarius, quia processisset a suo principio, quatenus hic et nunc non habuisset potestatem non operandi seu omittendi actum. Actus ergo liber ratione suæ libertatis nullam physicam et intrinsicam perfectionem continet, quam non posset habere, quamvis necessario processisset ab eadem potentia voluntatis: et consequenter non constituitur in esse liberi per positivum aliquem influxum potentie distinctum, sed per denominationem a potentia, quæ illum ponit cum potestate omittendi (1).

Vel si mavis, propone sic idem argumentum: Libertas in actione nullam intrinsicam perfectionem importat, si ad amorem v. g. liberum non majorem vel perfectiorem influxum physicum exserit voluntas, quam ad amorem necessarium. Atqui ita se res habet.

Major evidens videtur, quia major minorve perfectio effectus non potest procedere nisi ex majori aut perfectiori virtute

(1) Argumentum hoc sic lucidissime confirmatur ab Oviedo: «Cognitio tantum influit in volitionem elicitam, et potentia tantum illuminatur ad actum, quatenus illi proponitur motivum ad actum. Ergo tantum illa cognitio influit in volitionem, quæ proponit motivum ad volitionem elicendam. Sed cognitio retrahens voluntatem ab amore non proposuit motivum ad amorem, sed potius ad oppositum. Ergo non influit in amorem: ergo extrinsecum est amoris supponi hanc cognitionem ex parte intellectus, ut eliciatur ipse amor: ergo extrinsecum est illi provenire a principio indifferenti, quod essentialiter in ratione indifferentis constituitur per duplicem cognitionem invitante ad actum, et ab eodem retrahente: ergo extrinsecum est illi provenire a principio libero: ergo extrinseca est illi libertas». Oviedo, loc. cit., num. 3, *Confirmatur*.

atque influxu causæ. Minor vero probatur, quia ut amor libere procedat a voluntate, sufficit ut hæc operetur cum indifferentia objectiva (loquor in hypothesi, quod Deus miraculose non necessitet voluntatem, stante iudicio indifferenti); amor vero necessario procedet, si absit indifferentia objectiva, quæ radix est libertatis. Porro ad actum amoris, ut constat ex alibi probatis (1), physice et efficienter non occurrit nisi ipsa virtus voluntatis allecta bonitate objecti in genere causæ finalis. Atqui virtus voluntatis eadem est, sive necessario sive libere agat; bonitas objecti amorem excitantis etiam eadem est, sive illa proponatur per intellectum tamquam pura ac proinde solum amabilis, sive proponatur ut admixta defectu, ideoque non necessario amabilis. Ergo entitativa perfectio amoris liberi et necessarii potest esse physice eadem, et consequenter libertas nullam physicam perfectionem superaddit actui, sed tantum extrinsecam denominationem a potentia operante libere seu cum potestate non operandi (2). Quæ si vera sint, motus primo-primi, qui, deficiente deliberatione, necessarii sunt, si continuantur, donec accedat deliberatio, liberi videntur fieri iidem ipsi physice non mutati.

**Probo 2.<sup>o</sup>** Simul confirmando præcedens argumentum. Eadem actio physica externa v. g. ambulandi absque ulla intrinseca sui mutatione est libera, si exercentur ab homine cum potestate non ambulandi, necessaria vero, si exercentur a non possidente huiusmodi potestatem. Ergo simili modo idem physice actus voluntatis liber vel necessarius esse poterit, solum per hoc quod procedat a potentia libere vel necessario operante. **Prob. consequens**, tum quia quod libertas sit mediata vel immediata, non videtur mutare conceptum libertatis ut sic; tum quia in utrisque actionibus, nempe mediate et immediate liberis, viget eadem ratio, videlicet quod potentia sive libere sive necessario operans eadem virtute et efficacia influat in actum.

**Probat 3.<sup>o</sup>** Idem actus, v. g. amoris liberi, profluens a voluntate, potuit etiam procedere, deficiente aliquo constitutivo libertatis in actu primo. Atqui tum actus amoris non

(1) Vide supra num. 9 et 14, pag. 17 et 27 seqq.

(2) Cfr. Lossada, loc. cit., num. 53.

fuisset liber, sed necessarius. Ergo libertas actus non importat aliquid ipsi intrinsecum et essentielle, sed eadem physica entitas actus potest esse libera et necessaria.

**Prob. Major.** Idem hic actus amoris, qui nunc libere exercentur, potuit existere, etiamsi Deus decrevisset omnipotentiam suam applicare ad concurrendum decreto non indifferenti, sed necessario et infallibiliter connexo cum tali actu amoris. Cum enim decretum applicativum omnipotentia divini ad concurrendum non sit ipsa virtus cum voluntate creata influens in actum amoris, sed tantum mera conditio et applicatio virtutis, principium physice productivum actus amoris idem prorsus foret, etiamsi Deus omnipotentiam suam applicasset decreto non indifferenti, sed infallibiliter connexo cum actu illo amoris. Atqui tamen in eo casu deficeret aliquid libertatis constitutivum, nimirum indifferens applicatio omnipotentia, ut constat ex superius notatis (1). Ergo idem actus amoris, qui libere ponitur, potuit etiam existere deficiente aliquo libertatis constitutivo, ac proinde potuit poni necessario.

**Majorem probo**, quia actio non variatur intrinsece et entitative variata solum conditione et applicatione virtutis, quamdiu invariata manent principia in ipsam proprie ac physice influentia. Hoc enim est «discrimen inter principia physice seu proprie influentia et meras condiciones, quod a talibus principis essentialiter pendet hæc numero actio; a conditionibus vero seu applicationibus, licet interdum pendeat essentialiter, nunquam tamen a talibus determinate, sed solum indeterminate ab aliquibus ejusdem generis, quatenus exigit, ut causa individua vere applicata sit in tali genere, sive per hanc, sive per illam applicationem aut conditionem. Id quod perspicuum redditur exemplis obviis. Sic enim actio externa, v. g. loquendi, vel ambulandi, eadem esse potest, a quocumque imperetur actu voluntatis, seu honesto seu pravo, seu ex hoc seu ex illo fine; quia nimirum actus voluntatis non est virtus activa, sed conditio vel applicatio virtutis ad talem actionem. Qua etiam ratione potest eadem esse actio nature cum hac vel illa subsistentia: eadem item actio ignis per

(1) Vide supra num. 129, pag. 397.

hanc vel illam ubi locationem applicati ad idem passum; ideoque actio ignis A in lignum B variari non debet, sive applicatio fiat Romæ, sive Salmantiæ. Quod etiam valet in cognitione (si hæc non sit virtus, sed cõditio, ad actum voluntatis), cujus varietas non semper debet in volitionem refundi: dummodo enim objectum sit omnino idem, et sub eadem ratione propositum, nec reddatur magis aut minus applicatum, poterit eadem numero volitione amari, sive applicetur per cognitionem A, sive per B» (1). Non defuerunt sane, qui putarent quamvis actionem essentialiter pendere non solum a suis principiis physice influentibus, sed etiam ab iis individuis, et non aliis conditionibus, a quibus hic et nunc procedit. Verum hæc opinio communiter deseritur, et fuisse improbatã videri potest apud P. Ludovicum Lossada (2).

Et hæc quidem probant actus voluntatis, qui libere fiunt, saltem ut plurimum, non esse essentialiter, sed contingenter liberos, vel certe non aliud colligi ex generali conceptu volitionis libere seu libertatis in actu secundo. Non tamen repugnare videtur actus voluntatis, qui ratione specialis indolis vel modi tendendi sit essentialiter liberi, ideoque non possit ullatenus idem ipse necessario fieri (3).

(1) Lossada, loc. cit. num. 25.

(2) Lossada, loc. cit. num. 26-35. Cfr. Rhodes, loc. cit. in responsione ad 7.<sup>am</sup>

(3) Exempla dabit Lossada. «Fieri enim potest, ut fide supernaturali credas Deo revelanti, libertatem tibi esse concessam ad omnem actum in hac hora eliciendum, et statim ex hoc actu fidei gaudium elicias de libertate præsentẽ; quod gaudium libertatem supponet essentialiter, quia titulo supernaturalis essentialiter supponit cognitionem fidei essentialiter veram de libertatis existentia, præsertim si cognitio ista elevetur, ut potest, ad influendum physice in tale gaudium. Præterea odium Dei, vel alius actus contra legem naturæ, si habeat modum tendendi expresse aut formaliter prælativum, quo scilicet formaliter præferat hoc objectum alteri opposito, vel in illud feratur cum formali contemptu et rejectione motivi retrahentis, talis, inquam, actus videtur per se supponere iudicium indifferens, quia fertur intrinsece, licet diversimode, in utrumque motivum, attrahens et retrahens: per se quoque supponit in Deo decretum indifferens, quia actus ex se contrarius legi naturæ nequit a Deo determinari. Nullo ergo ex capite potest evadere necessarius, ac proinde putandus erit essentialiter liber. Hæc tamen ratio non militat

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

136 Objic. 1.<sup>o</sup> cum P. Hurtado. Actus bonus liber est objectum specialis complacentiæ Dei, secus vero actus necessarius, nam actus v. g. cultus divini libere positus ad præmium movet Deum, non movet autem, si non libere ponatur. Ergo in actu libero necesse est intrinsecam aliquam perfectionem agnoscere. Probatur consequens, quia licet amor divinus benevolentia non necessario supponat perfectionem in suo termino, complacentiæ autem amor necessario requirit intrinsecam bonitatem, propter quam complaceat in suo termino vel objecto. Et simile argumentum fieri posset ex actu malo, qui est objectum displicentiæ divinæ (1).

Respondeo *neg.* conseq. et ration. additam. Quia specialis Dei complacentia terminari potest ad actum bonum, et displicentia ad malum liberum præ necessario, ratione libertatis in actu primo, non tamquam objecti terminantis *ut quod* vel in recto, sed tamquam circumstantiæ, unde actus secundus constituitur dignus et aptus, ad quem complacentia vel displicentia terminetur. Resque innumeris constat exemplis: idem ipsum vas aquæ frigidæ; quod forte cum stomacho respueres, cum siti non fatigaris, vehementer placet tibi sitienti in æstu caloris; eadem salutatio, quam a vulgari et ignoto viro profectam non magni faceres, honorificentissima tibi videbitur, si a carissimo amico vel principe procedat; amorem etiam, quo te frater tuus prosequitur, profecto longe pluris facies, quam amor famuli, etiamsi foret intensior. Ergo ex

in actibus bonis; immo nec in malis, qui non illum tendendi modum habent, sed simpliciter feruntur in objectum suum, quasi nihil curando vel decernendo de objecto contrario, nec de motivo retrahente: hi namque possunt evadere necessarii seu non liberi ex defectu iudicii indifferents, ut contingit in ebriis et amentibus. Quin etiam fortasse illi actus pravi, qui prædictum habent tendendi modum, possunt libertate nudari ex defectu iudicii: quia possunt idem elici in somno, ebrietate, phrenesi, ubi non raro videtur exerceri voluntas cum cognitione aliqua motivi retrahentis, quæ tamen cognitio non sufficit ad usum rationis proprie dictum, nec meretur nomen iudicii indifferents.» Lossada, loc. cit. num. 39 et 40.

(1) Vide Hurtad., loc. cit. sect. 6, subsect. 2. num. 54 seqq.

his aliisque sexcentis, quæ produci possent, exemplis evidenter patet posse rem vel actum aliquem speciali complacentia dignum esse solum ob externam circumstantiam vel per ordinem ad causam aut principium ejus, quamvis non sit in sua physica entitate perfectior aliis. Ita ergo in re nostra nihil mirum, si actus, ex eo solum quod procedat a potentia libera, possit magis Deo placere.

**Ojic. 2.<sup>o</sup>** cum eodem P. Hurtado. Malitia formalis penitus intrinseca est actibus præviis. Ergo etiam libertas, quæ est de conceptu formalis malitiæ. Prob. antec. Si malitia formalis extrinseca esset, consisteret in libertate potentiæ sive actus primi, quæ proinde esset malitia in abstracto et forma inficiens actum secundum, quem redderet dignum speciali Dei displicentia. Atqui hoc absurdum est; nam libertas in actu primo non est mala, sed bona et a Deo intenta, ideoque non potest esse forma malitiam tribuens actui. Confirmatur 1.<sup>o</sup> Si amor objecti vetiti non est ex intrinseca tendentia malus, nequit reddi malus ex cœxistentia cum libertate actus primi; siquidem cœxistentia hæc est aggregatum quoddam ex partibus bonis, vel certe non malis, in linea morali. Confirmatur 2.<sup>o</sup>, quia Deus non odio habet libertatem in actu primo, sed solum actum secundum male operantis. Atqui odio habet malitiam. Ergo hæc in solo actu secundo consistit (1).

**Respondeo, neg.** anteced., et Majorem probationis. Nam malitia formalis non est nisi forma abstracta realiter indistincta mali actus, qui aliud non est, quam actus libere positus contra legem Dei. Cum ergo actus libere positus contra legem Dei non constituatur in recto, sed tantum in obliquo per libertatem in actu primo, nequit dici libertas in actu primo esse malitia in abstracto vel forma inficiens actum secundum (2). **Ad Confirmationem 1.<sup>am</sup> nego** assertum. Nam «potest contingere, ut actus ex tendentia intrinseca non malus, constituatur in esse peccati per cœxistentiam cum libertate et cognitione legis, si nempe feratur (sine formali contemptu legis) in objectum, quod ideo præcise malum sit, quia prohibitum, v. g. in esum carnis die jejunii. Nec absurdum est, quod peccatum seu malum consistat interdum in

(1) Apud Lossada, loc. cit., num. 54.

(2) Vide Lossada, loc. cit. num. 37.

conjunctione vel concurrentia partium, quarum nulla secundum se mala sit, quando scilicet ratio mali desumitur ex difformitate, dissonantia seu disconvenientia partium inter se, qualis est in casu nostro inter actum et cognitionem legis prohibentis; Sic in die jejunii malum objectivum, odio dignum et inamabile amore licito, constituitur ex esu carniæ et lege prohibente, quarum partium nulla est mala secundum se. Sic etiam extra rem moralem monstra vel opera deformia, quæ vocantur peccata naturæ vel artis, coalescere possunt ex partibus singillatim pulchris, sed invicem dissidentibus, v. g. ex oculis aut auribus inæqualibus, vel

*Humano capite cervicem pictor equinam*

*Jungere si velit,*

ut cum Poeta loquar) (1). **Ad confirmationem 2.<sup>am</sup> neg.** consequ. Instantia est in esu carnis, quem etiam, facta prohibitionem, detestatur Deus ut malum objectivum, vel judicat indignum amore nostro; non autem sic indignam judicat prohibitionem, cum tamen ex ea constituatur indignitas et malitia talis objecti. Deus igitur odio habet solum actum secundum, ita ut per *se solum* excludatur libertas et cognitio legis a munere objecti terminantis odium, secus vero a munere circumstantiæ constituentis actum in *esse* odibilis; non enim actus est odibilis per modum peccati formalis, nisi ut positus, et quia positus in circumstantiis libertatis et obligationis omittendi. Sic sola voluntas, non cognitio, est proxime potens amare, et tamen in *esse* proxime potens constituitur per cognitionem: ut etiam per cognitionem constituitur objectum in *esse* potentis finalizare, cum tamen non cognitio, sed sola objecti bonitas finalizet. Idem patet, ut alia innumera præteream, in natura communi, quæ sola est apta prædicari de multis, non vero ejus præcise vel abstractio, per quam tamen natura constituitur in *esse* prædicabilis. Nec debet odio haberi, vel esse dignum odio, ne partialiter quidem, quidquid de obliquo constituit actum in *esse* odibilis, nisi forte constituat per modum ultimi determinativi, sicut non debet partialiter prædicari, quidquid naturam constituat in *esse* prædicabilis, nec debet amari pestis aut morbus, quo sanitas

(1) Lossada, loc. cit. num. 58.

redditur amabilior, nec in pretio haberi sterilitas aut raritas, qua triticum redditur pretiosius» (1). Ita ergo Deus malitiam formalem non odit nisi secundum id, quod importat in recto, nempe actum secundum, odio tamen supponente cætera, quæ malitiam constituunt in obliquo, ut est v. g. libertas: quod adductis exemplis satis illustratur.

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Potentia libera perfectior est, quam necessaria. Ergo potentia libere agentis majorem perfectionem dat actui producto. Et prob. conseq. paritate, quia principium vitale ac supernaturale etiam intrinsicam perfectionem majorem refundunt in suos actus. Ergo idem sentiendum est de principio libero.

**Respondeo dist. anteced.** Potentia in se ipsa libera perfectior est potentia in se non libera, *transeat*. Potentia in se libera perfectior est cum actu libere operatur, quam cum actu non libere operatur, *neg.* Et simili modo *dist.* conseq. Potentia libere agens, id est in se libera, majorem perfectionem dat actui, quam potentia in se necessaria, quæ non potest libere agere, *conc.* Potentia in se libera majorem perfectionem tribuit actui, cum libere, quam cum necessario operatur, *subdist.*... tribuit majorem perfectionem in *esse* morum, *conc.*; in *esse* physice entitatis, *nego*, donec efficacius probetur ab adversariis. Immo vero instantiam et retorsionem evidentem habes in amore Dei libero viatoris et necessario beati in cælo: si enim vera esset doctrina objectionis, sequeretur amorem beatificum imperfectiorem esse amore viatoris, quippe qui majorem perfectionem acciperet a suo principio ratione libertatis.

**Ad probationem neg. conseq. et paritat.,** quia principium supernaturale præstantiorem virtutem importat, naturali potentie superadditam; principium etiam vitale, qua tale, constituitur per virtutem essentialiter distinctam ab omni principio non vitali. Potentia vero libera, cum libere operatur, non videtur nobis, donec contrarium probetur, exserere majorem virtutem, quam cum non libere operatur; immo vero sufficit propositio ejusdem bonitatis indifferenti judicio exhibita voluntati, ut hæc libere agere intelligatur. Atqui

(1) Lossada, loc. cit. num. 59, 60.

propositio bonitas hoc pacto exhibita non majorem addit virtutem potentie libere operanti, quam si eadem bonitas absque defectu proponeretur, quemadmodum in probationibus explicatum reliquimus.

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Ratio voluntarii est intrinseca ipsi actui voluntario et ab ipso inseparabilis. Ergo et ratio liberi. Antecedens patet, quia liberum est species voluntarii perfectior, quam necessarium. Ergo actus liber continet majorem perfectionem intrinsicam, quam necessarius.—**Respondeo, conc. anteced., et neg. conseq. ac paritat.** Quia voluntario (loquor de actu voluntatis, non vero de actibus imperatis aliarum potentialium, qui extrinsece duntaxat voluntarii dicuntur) essentialis est procedere a voluntate cum cognitione finis; nondum autem probatum est ab adversariis, quod actui libero ita essentialis est procedere a voluntate cum judicio indifferenti, ut idem ipse entitative actus non possit etiam procedere ab eadem voluntate cum judicio non indifferenti circa eandem bonitatem (aut etiam cum decreto Dei non indifferenter applicantis omnipotentiam suam ad concurrendum), ut nobis quidem videtur satis probatum esse.

**Objic. 5.<sup>o</sup>** Ratio liberi in actu secundo est ipsamet actio. Actio vero sibi ipsi est intrinseca et essentialis. Ergo ratio liberi est actioni essentialis. Accedit, quod necessitas est intrinseca et essentialis actionibus, quæ procedunt a causis necessariis. Ergo libertas etiam intrinseca esse debet actionibus a causa libera procedentibus.

**Respondeo ad primum dist. Major.** Actio sola, *nego*; actio in recto et iudicium indifferens in obliquo, *conc.* Et *neg. conseq.* Ad alterum *neg. conseq. et parit.* Actiones necessariæ, quæ procedunt a causis necessariis, possunt esse essentialiter tales, quia essentialiter postulant elici a causis necessariis; actiones vero, quæ libere procedunt a potentia libera, non sunt essentialiter liberæ, quia non videntur essentialiter postulare procedere cum judicio indifferenti, quin possint secundum eandem physicam entitatem aliter, ac proinde non libere, fieri, quemadmodum probatum manet.

**Objic. 6.<sup>o</sup>** Actio libera intrinsece supponit iudicium indifferens. Ergo est intrinsece libera seu intrinsece diversa a necessaria. Probatur antecedens, tum quia actio libera est eletic

unius præ alio, ac proinde supponere debet cognitionem utriusque; tum quia voluntas libere agens resistit motivis retrahentibus, unde actio ejus importat conatum restitutum, qui certe nequit esse circa motiva incognita; tum quia non poterit alicuiusmodi iudicium indifferens, qua parte retrahit, pertinere ad signum prius sive ad actum primum libertatis, quia respectu actionis hujus non erit causa nec requisitum ad causandum. Probatur etiam consequens, quia actio necessaria iudicio determinato contenta est, immo nec potest ad eam præsupponi iudicium indifferens; secus daretur iudicium movens ad omissionem actus, quando hæc omissio est impossibilis voluntati, vel iudicium indifferenter movens ad extrema opposita, quando voluntas non est indifferenter mobilis ad utrumque (1).

**Responderi** 1.<sup>o</sup> posset, *transmisso* antecedente, *negando* consequens, quia stante iudicio indifferenti potest adhuc Deus necessitare voluntatem ex superius probatis; unde quamvis volitio intrinsece supponat iudicium indifferens, et quamvis sit intrinsece prælativa, resistatque motivo retrahenti, non ideo erit essentialiter libera, nec intrinsece differt ab omni necessaria, cum ipsamet evadere possit necessaria (2). **Verum respondeo** 2.<sup>o</sup> *nego* antec.; nam actio, quamvis non exigit intrinsece iudicium indifferens, adhuc libera intelligitur, dummodo hic et nunc de facto ponatur cum tali iudicio.

Ad probationes dici potest cum Lossada, in primis non omnem actionem liberam intrinsece et ex modo tendendi esse electionem unius præ alio, «ita scilicet ut præferat unum, formaliter postponendo vel contemnendo aliud, sæpe enim volitio libera simpliciter fertur in objectum unum, nil decernendo vel curando de opposito, quamvis præcognito: talis autem volitio non supponit intrinsece cognitionem oppositi, licet ab ea et a tota libertate actus primi extrinsece denominetur electio unius præ alio, idest, existens in circumstantiis, in quibus potuit voluntas oppositum malle. Nec item omnis actio libera importat intrinsece conatum restitutum, tum quia negari potest, quod libertas contradictionis requirat semper

(1) Vide apud Lossada, loc. cit. num. 48.

(2) Lossada, loc. cit. num. 52, ubi plura require ibid. et num. 53.

motivum positive retrahens; tum quia, ut voluntas dicatur resistere, sufficit, quod non sinat se trahi, ad hoc autem non opus est positivo conatu, sed sufficit suspensio consensus, et a fortiori sufficit volitio objecti contrarii, tametsi non habeat specialem tendentiam, quam non haberet seorsum a motivo retrahente. Quod attinet prioritatem iudicii respectu actionis volitivæ, si iudicium indifferens non sit cognitio duplex, sed unica representans motiva contraria, facile intelligitur totum præcedere in sensu reali, si præcedit secundum representationem allicientem, cum hæc ipsa realiter sit representatio motivi retrahentis. Si vero supponatur cognitio realiter duplex, altera pure invitans, altera pure retrahens, in hac etiam est prioritatis titulus respectu volitionis, a qua retrahit, quamvis ad eam non prærequiratur nec ut causa, nec ut conditio; dummodo tamen hic et nunc existat independentem a volitione ipsa. Ratio est, quia cognitio retrahens constituit potestatem omittendi volitionem hanc, vel eam excludendi per actum oppositum; debent autem pro priori ad actionem intelligi, non solum ea, quæ constituunt posse agere, sed etiam ea, quæ constituunt posse non agere, vel agere oppositum; repugnat enim, quod voluntas intelligatur potens omittere seu excludere in hoc instanti actionem A, nisi pro priori ad ipsam, vel priusquam actio ipsa supponatur existere in eodem instanti; cum omnino repugnet actionem non esse, ex suppositione quod sit (1).

Et hæc sufficiant de hac non parum subtili questione, quam fusius pertractatam reperies apud Salmanticenses et Lossada aliosque superius laudatos scriptores.

(1) Lossada, loc. cit. num. 49, 50. Cfr. num. 51.